


V
B
J
C

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

CONCLUSIONES

Ex Philoſophia naturali

DE MOTU

Publicæ Diſputationi

EXPOSITÆ.

&

CHRISTO
DOMINO
CRUCIFIXO

In Ædibus S. MARCI Evangeliſtæ Gratiîs & miraculîs

CELEBERRIMO

à

Schola Regni Philoſophica

DEDICATÆ.

Revelabitur Filius meus JESUS. 4. *Æsdræ* 7.

Et vocabitur Nomen Ejus Admirabilis, Consiliarius, DEUS fortis. *Isaiæ* 9.

Et stupebant super doctrina Ejus, erat enim docens eos quasi potestatem habens. *Marci* 1. *v.* 22.

Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi JESUM Christum & hunc Crucifixum. 1. *ad Corynt.* 2. *v.* 2. Omne quodcunq; facitis in verbo aut in opere, omnia in Nomine Domini JESU Christi facite. *ad Colos.* 5. *v.* 17. In Quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. *ad Colos.* 2. *v.* 3. *S. Paulus Apost.*

Eris verus Philosophus CHRISTI cùm in te stultam fecerit Ipse sapientiam mundi. *lib.* 1. *Ep.* 9. *S. Petrus Maurit.*

Non solùm CHRISTUS sicut Magister aliquid docuit, sed sicut Magister aliquid non docuit; tanquam Magister enim sciebat & docere quod proderat, & non docere quod oberat. *supr. Psal.* 36. *in principio Concionis primæ.* Cathedram habet in Cælo, qui in terra docet. *De Disciplina Christiana C.* 4. *S. Aug.*

Tibi Convivium CHRISTUS sit, cogitatio tua CHRISTUS, desiderium CHRISTUS, lectio CHRISTUS, quies CHRISTUS. *Tom:* 4. *Epist.* 13. *de Septem Ordinibus. S. Hieronym.*

DEDICATIO.



N*Aturali ex Philoſophia de motu Concluſiones, quas hodie luci damus publicæ, easdem in continenti Thaumaturgo in Ara Crucis ad Sacras D. MARCI Ædes* CHRISTO DOMINO *officioſiſſima veneratione dedicamus. Et jure quidem optimo; Illi namque quà totius Authori naturæ hocce naturalis Philoſophiæ quantumcunq; ſit ſubjicitur opus, Illi quà Supremo omnium Scientiarum Magiſtro deferendus omnino hic Studii Scholaſtici fructus, Illi quà ſpecialiter ad peractæ hujus Philoſophiæ partis negotium & actum rei præſentis invocato ac implorato Adjutori ſingulare gratæ Pietatis & piæ*

Gratitudinis à nobis Cultoribus debetur per omnia monumentum. Toties ab hoc Omnipotente Orbis Universi Salutisque Authore cunctorum notitiam reportamus Philosophi, toties Hoc Magistro nos informante, non sinè animorum solatio abdita rerum arduaque difficultatum superamus feliciter, quoties firma fide & devotîs affectibûs Divi, illo felici vitæ Cantianæ sæculô ex præclaris Lithvaniarum Principibus oriundi in Universitate actualis Professoris ac demum Regularis de Pœnitentia Martyrum Canonici GEDROICII exemplô, ad Hunc omnium Facultatum Authorem pro obtinenda promptitudine, ad Supremum Intelligentiarum Magistrum, Eundemqué Gloriæ Paternæ Splendorem, pro mentium illuminatione avidi perfectæ eruditionis recurrimus competitores. Quare: Hac Divina Bonitate Tua, Quâ nobis ad Ædes Divi MARCI Evangelistæ confluentibus neçessaria proficiendi in

arti-

Artibus Dona mirabiliter largiris, ſuſcipe exiguam laboris noſtri opellam Concluſiones nempe expoſitas Admirabilis CHRISTE, *quas dum proni immenſo Tuæ Divinæ Majeſtatis ſubjicimus Calcaneo, enixîs precibûs ſupplicamus, ut huic præſenti ad Gloriam Nominis Tui à nobis inſtituto, perqué Eximios ſubtiliſſimæ Scholæ Magiſtros, Seraphicîs, erga Te Patientiſſimum Salvatorem affectibûs necnon Philadelphicîs in nos Philoſophos Academicos argumentîs adornando & celebrando actui benedicere non dedigneris.*

CONCLUSIONES
EX PHYSICA
DE MOTU.

I.

RES naturales ex ſe non ſunt indifferentes (ùt Carteſius vult) ſed determinatæ ad diſtinctos motus. Aliàs ſi eſſent indifferentes, tunc non magìs eſſet lapidi naturale moveri deorſum, aut igni ſurſum, quàm igni deprimi & lapidi aſcendere. Quò ad ſecundum, videmus levia ſurſum, gravia deorſum ex vi ſeu inclinatione naturali determinatè moveri.

II.

EFfectus agentium naturalium non contingunt cæca motûs neceſſitate (prout dictus Carteſius narrat) ſed omnia agunt propter finem. DEUS enim agentia naturalia tanquam Supremus Proviſor ad ſuum finem ordinat ſapientiſſimè, omnia dein agentia pro innata ſuæ conditioni virtute intendunt aliquem finem, propter quem operantur.

III.

NOn ſolus DEUS eſt Cauſa efficiens motuum (ùt cum Carteſio plurimi Recentiores ſentiunt) ſolus tamen eſt Primus Motor. Advertimus utiqué non obſcurè rebus corporeis ineſſe vim activam motûs, dum v.g. lapis ejectus ſurſum, deorſum; non aliquo impetu eum abextra premente, ſed vi ſibi innata evidenter deſcendit. Quò verò ad DEUM Motorem; Hic Primus omnibus entibus, ſicut eſſe dedit, ita & conſequentiam ad eſſe non amovet à rebus, quas ad actuales necnon Phyſicas operationes efficaciter movet.

IV.

Præmotio Phyſica non lædit libertatem creatam ſed potiùs juvat eandem. Hinc patet primum, quòd Præmotio Phyſica non aufert indifferentiam voluntati creatæ ad agendum vel non agendum liberè. Secundum inde conſtat, quòd DEUS voluntatem creatam in poſſe agere promptam & ad actu agendum paratam præmovendo, de actu primo ad actũ

ſecun-

ſecundum quem agens creatum propria virtute conſequi non poſſet, deducit efficaciter.

Ad Majorem DEI Gloriam.

Diſputabuntur publicè in Collegio Majori Studii Generalis Univerſitatis Cracovienſis, argumentantibûs contra easdem AA. RR. Patribûs Ordinis S. FRANCISCI Conventualibûs, actualibûs Philoſophiæ Lectoribûs, concludente Actum Diſputationis per breve argumentum Excellente D. M. Vincentio Smaczniński, *Phiæ Doctore, protunc ejusdem Curſus Auditore.*

Objectis ſatisfaciet Excellens D. M. Bonifacius Garycki, *Phiæ Doctor, protunc ejusdem Curſus Auditor. Sub aſſiſtentia* M. Antonii Thadæi CZERCHAWSKI, *Philoſophiæ Doctoris, Regii ac pauloante præfati Curſus Philoſophici actualis Profeſſoris, Collegæ Majoris, Eccleſiæ Collegiatæ S. ANNÆ Scholaſtici. Annô Domini* 1766. *Menſe Junio.*

PERMISSU

MAGNIFICI DOMINI

RECTORIS.

ia vir-
aciter.

Studii
nentan-
Ordinis
s Phi-
ſputa-
D. M.
rotunc

facius
Curſus
hadæi
Regii
ctualis
egiatæ
766.



